

cibus Filii ac generationis in emphasi significari, quam quod secunda persona eandem habeat cum prima essentiam et naturam. Vid. Dn. D. *Grapius* in *Christolog*: recens *Controuers.* Verum enim vero licet haud inuiti fateamur, nos capere non posse, qualis sit Filii DEI generatio: Certi tamen sumus, DEUM Patrem Filium suum vera propria, et aeterna generatione genuisse; qui id propter notanter appellatur ὁ μονογενής παρὰ πατρός. Ioh. I, 14. μονογενής υἱός ὁ ὢν ἐν κόλπῳ τῆς πατρὸς *unigenitus DEI Filius, qui in sinu Patris est.* Ioh. I, 18. Imo ἴδιος τῆς Θεοῦ υἱός *Proprius DEI Filius* Rom. VIII, 32. quam ob causam inquit: DEUM sibi esse πατέρα ἴδιον proprium Patrem. Ioh. V, 15. Fieri namque non potest, ut is sit et vere dicatur *unigenitus et proprius Filius*, qui vera et proprie dicta generatione non est Filius; Id quod voces ipsae vel exteriori sono et significatu satis indicant et abunde euincunt. *Conf. Brochm. Syst. Theol. Tom. I. p. 165.* Non vero propria et vera solum, sed et aeterna est haec Filii DEI generatio, ceu docet locus iste Mich. V, 1. 2. *Tu autem Bethlehem Ephratah paruula es, ut sis in millibus Iuda: Ex te tamen mihi egredietur Dominator in Israel, et egressiones eius ante principium, ante Dies seculi.* Quem locum de Filio DEI intelligendum esse, euidenter ostendit Matthaeus C. II, 5. 6. qui haec verba Michae Christo dilerte accommodat, ubi sane *egressio Filii DEI ante principium, ante dies seculi*, nil aliud est, quam aeterna Filii DEI generatio, dum *egredi* idem est ac *nasci.* Gen. XVII, 6. C. XXV, Et. XI, 1. Vid. *Brochm. l. c. p. 167.*

§. VIII.

Haec vero generatio non est Physica, neque humana, nec ulla est in generante mutabilitas, nulla in genito dependentia a gignente ex indigentia; Neque est generatio temporalis ubi locum habet prius et posterius: Sed est generatio diui-

B 3

na,